

16. 12.



O 250 61

DEO AVSPICE  
DE  
**ORBIS TERRARVM**  
**QVATVOR PARTIBVS**  
IN SCHOLA CIZENSIVM EPISCOPALI  
A. D. XV DECEMB. POST SACRA ME-  
RIDIANA  
DISSERTABITVR  
DIRIGENTE ET AD AVDIENDVM  
INVITANTE  
M. CHRISTOPHORO CELLARIO.

---

CIZAE  
LITTERIS HETSTEDIANIS.

*Munm.*



*[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is largely illegible due to fading and bleed-through.]*





**P**eregrinationum vbique magna  
commendatio est, nec varietas tantummo-  
do locorum, sed hominum cum primis me-  
moriam, qui clare ibi vixerunt, singulari delectamento  
est & egregiis animis virtutum incitamento. Solet e-  
nim illud vsu venire, vt acrior quædam & attentior ob  
memoriam locorum de claris viris subeat cogitatio,  
quemadmodum Tullius mirifice adfici solitus fuit  
conspectu illorum locorum, in quibus clari homines  
multum versati fuerant. Cum enim Athenis esset,  
*michi, inquit de Finibus lib. v cap. 1, Platonis in mentem  
venit, quem accepimus primum hic disputare solitum, cuius  
etiam illi hortuli propinqui non memoriam solum mihi adfe-  
runt, sed ipsum videntur in conspectu meo ponere. Hic Speusip-  
pus, hic Xenocrates, hic eius auditor Polemo, cuius ipsa illa  
sessio fuit, quam videmus.* Nec diuersum ab hoc, ad vr-  
bem, rerum olim ac orbis dominam, adeuntibus con-  
tingit, si qui veteris memoriæ plane non sunt incurio-  
si, qui, vt ille Athenis, quocunque ingrediuntur, in  
aliquam historiam vestigium ponere non ignorant.  
Hic Scipio aut Cæsar curru Capitolium ingressus: hic  
Tullius pro Rostris perorauit: hic iudiciis interfuit  
Cato: patres hic de summa republica sententiis col-  
latis differuerunt. vt vel sola antiquitatis memoria  
commendare magnopere peregrinationes possit, in  
iis

iis præsertim locis, vbi res præclare gestas recognoscimus, & apud eos, quibus curæ cordique est, veterum virtutem, normam illam & magistram sequentium sæculorum, non ignorasse. Nec leuius illud commodum est, quod ex noua forma rerumpublicarum, nostrique temporis moribus peregrinis hauriri potest. Quemadmodum enim vna terra non omnes fructus profert, sed mercaturæ beneficio importari necesse est, quæ alio sub cœlo vtilia nascuntur: ita gentium civitatumque mores diuersi & varii sunt, nec populus vnus habet omnia, quæ ad vtilitatem vitæ, quæ ad regendam instituendamque rempublicam pertinent. Ex variis locis colligitur vera sapientia, quemadmodum sapientissimus quisque peregre profectus fuit, Plato & Pythagoras in Ægyptum, Apollonius in Persas, Indos, Scythas, qui idem vitæ genus, vt summe necessarium, quasi decreto factò aliis quoque, præsertim iunioribus, apud Philostratum lib. i cap. xiii imperavit, *περοσηκει, νέω άνδρι δποδημείν τε ηδη υπεροσειω άνεσθαι*, *Decet, inquit, iuuenem hominem longissime a patriæ finibus peregrinari.* Temporis, in quo versamur, venerabilis sanctitas monet, vt misso civilis prudentiæ fructu, quem adfert peregrinatio, ad pietatis vsum & ecclesiæ nos conuertamus. Stimulum sane melioris adfectus habet, obire illa loca, quæ cum singulis vestigiis monumentum sanctitatis nobis in animum revocant, Sic nobilissimæ Romanorum feminae, quæ  
tot

tot triumphales consularesque viros in maioribus  
suis numerabant, Paulla, Fabiola, Eustochium, Mar-  
cella, mirifico sensu pietatis adficiebantur, cum in Pa-  
læstinam profectæ, Saluatoris speluncam intrare, in  
sepulcro Domini flere, supplicii locum cum dolore  
adire, ex Oliueti monte voto & animo in cœlum  
sublimari poterant. De Augustino referunt, inter  
eximia, quæ votis conceperat, exoptasse etiam Ro-  
mam triumphantem videre. Dignum quidem erudi-  
to homine & antiquitatis studioso desiderium: sed  
dignius Christiano est, votis Bethlehemiticam casam  
subire, in qua Christus humilitate sublimis, pauper-  
tate diues, contemtionem gloriosus iacuit, & hostibus  
suis cedendo de hostibus triumphauit. Plus inde capi  
posset ad vitæ sanctimoniam exsuscitandam, quam  
ex Romanæ vrbs monumentis ad profanam littera-  
turam & ciuilem prudentiam potest accedere. Feli-  
ces ergo animæ, quæ suam in sanctis locis accendere  
possunt & conseruare pietatem, quæ Dei inde cogno-  
scunt benignitatem mirabilem, & sensu oculorum  
reuocant, quod humanitatis culpa ex animo facile  
dilabitur. Cum vero non omnibus concessum sit  
hanc nobilem Corinthum adnauigare, nec sumtus  
tanti suppetant cunctis aut occasionis commodita-  
tes, vt peregre proficisci & oculis suis subiicere pos-  
sint, quæ singulis locis vel antiquitatis reliquiæ, vel re-  
centis ingenii artificia inveniuntur: pensari illud ali-  
unde

unde quocunque modo debet, vt quamquam oculi  
damnum ex absentia capiant, animo tamen præsen-  
tissimi simus & perspicacissime intueamur omnia.  
Hoc Historiæ studio & Geographiæ repræsentatur,  
quod sine periculo, sine maiore sumtu, cum ingenti  
temporis lucro, sola industria peragitur, & tantum in-  
de fructus percipitur, vt vix alii, qui oculis vsurparunt,  
certare cum his de variarum rerum, antiquarum & re-  
centium, memoria & cognitione audeant. Præclare  
Seneca: Peregrinando animus mutari debet, non cœ-  
lum: excoli industria, repeti historia, situs locorum  
ad geographorum præcepta examinari. Hoc nisi  
proponitur ad adquirendum, frustra suscipietur etiam  
longissimum iter. Licet enim vastum mare traieceris,  
licet, vt ait Virgilius, *terraque vrbesque recedant*; se-  
quentur te, quocunque perueneris, vitia tua, sequen-  
tur ruditas & ignoratio, perpetui tui comites. Si vis ista  
effugere, quibus vrgeris, non alibi sis oportet, sed ali-  
us: non locum mutare, sed animum: non vario ci-  
borum & vestium genere; sed virtute, doctrina, litte-  
ris proficere. Hoc quis negat ex libris æque, sæpe  
etiam melius accuratiusque, perdisci posse, quam ex  
sumtuosa & diuturna peregrinatione? In longinquas  
terras profectis sæpe duces desunt & indices, qui ad  
præstantissima quæque fideliter adducunt: & si qui-  
dam reperiuntur, mercenarii plerumque sunt & leui-  
oris animi, etiam illarum rerum, quas monstrare aliis  
pro-



profitentur, ipsi imperitissimi. Litterariæ autem peregrinationi nunquam probi duces & monitores deesse possunt, cum quot habemus geographicos scriptores, quot conditores historiarum; tot indices nobis in hoc itinere succurrunt, qui ex variorum ingenii commemorant, quidquid a multis sæculis in quouis loco illustre conspici notarique in vsum nostrum possit. Iucundum iter & tutissimum, etiam paruo tempore minimoque sumtu conficiendum. Sic enim feliciter possumus cum Alexandro vniversam Asiam peragrare, cum Cæsare Galliam perdomare, cum Pompeio & Scipione Hispaniam, Africam, & maris mediterranei oram peruagari, cum Varrone & Columella in villas Romanorum diuerti, vt taceam de vrbis magnificentia, quam clarius vetustæ inscriptiones, in libris ordine dispositæ & explicatæ, declarant, quam dispersa per Italiam & prouincias fragmenta marmorum & tabularum. Magnificienda est peregrinatio a discendi cupido instituta & cum eruditionis incremento perfecta: nec tamen contemnendum est litterarium iter, quo non per montes & maria, sed per librorum plagas & ingeniorum arboreta suauissima sine offensione spatiamur, nec minores fructus, quam ex grauissimo itinere, sæpe etiam certiores, in vsum nostrum reportamus. Hæ nostræ fuerunt æstiuo spatio deliciae, cum nobis ducibus disciplinæ nostræ alumni per orbem terrarum singulasque eius pro-  
vicias

vincias, vrbes & portus nobiliores, iter fecerunt, & quod  
vbique locorum memorabile est, intentiore cura adno-  
tarunt. Cuius industriæ suæ nunc specimen edituri de  
illo ipso orbe quæstionem rhetorice ventilabunt, *quæ-*  
*nam eius pars sit omnium præstantissima.* Breuibus ergo,  
at comitis & elegantibus oratiunculis quatuor illorum,  
ingenio & doctrina non inualidi, ita maiores mundi  
partes describent, vt, quod caput rei est, ex sacrorum  
vsu & religionis sanctitate quisque suam partem maximo-  
pere commendaturus sit, nempe IO. GEORGIUS  
Medel / Tauchensis, & IO. ABRAHAMVS Lehn/  
Zipsendorfiensis, vterque ex agro nostro, *Asiam* atque  
*Africam*: at IO. EHRENFRIIDVS Schackwitz/  
Numburgensis, *Americam*; & denique IO. GODO-  
FREDVS Weise / Ienensis, *Europam*, minimam  
quidem, sed principem facile & ceterarum reginam  
partium. Quod nostri officii est, patronos & fautores  
Musarum nostratium idemtidem etiam atque etiam ro-  
gamus, vt suam sæpius exploratam erga nos beneuo-  
lentiam denuo ostendere, nostrisque declamatoribus ad  
breue tempus aures dare, sicque studia fauore suo in-  
maius spatium promouere & sustentare ne dedignentur.  
P. P. Cizæ postridie idus Decemb, cio ioc LXXXVII.




Nr 3165


80

Wort

170







B.I.G.

Farbkarte #13

*Oc 250*

SPICE

RRARVM

PARTIBVS

SIVM EPISCOPALI

OST SACRA ME-  
IA

BITVR

AVDIENDVM

NTE

RO CELLARIO.

AE  
TEDIANIS.

*Munm.*

